

Cat alogus Dissertationum volumine hoc
comprehensorum.

- 1., De prudentia in disquisitione Lubertiæ dicti Johanni i. Joh. 3. 7.
Auct. Car. Gottlob. Hoffmanno. Vitt. 1766.
- 2., Pietas Cornelii Centurionis Cæsariorum: antequam ad eum mitteretur regi
trus Act. X. 2. Auct. Joh. Ficht. Roff. 1701.
- 3., Observationes Exegetico critico et miscelle super 2 Tim III et IV.
Auct. Joh. Falck. Semler. Altonf. 1763
- 4., Progr. & utilitatibus ex Doct. Theologiae redundant. Auct. Christ.
Timoth. Seidelio Helmst.
- 5., De duracione Porrorum Auct. Christ. Fried Samro. Tab. 1756.
- 6., De Vocacione Ministrorum Ecclesiasticorum Divina Eius. ibid 1757.
- 7., Prog. Cur pauci sunt Boni sedularum Rectores. Auct. Johann.
- 8., Christi Stemer Lipsie do 1747.
- 9., De recto et genuino usu argumentorum fidem humanam faciem.
tut, in probanda Læcina origine. Litterarum. Joh. Georg.
Knapp. Halle 1757.
- 10., Quare dico tibi remissa sunt peccata eius multa, quia et. Luc. VIII. 47.
Auct. Christoph. Matthæo Pfaffo. Tuberig 1745.
- 11., De Peccato in Spiritu S. Melide Car. Gottlob Hoffmann auct.
- 12., De Peccato in Spiritu S. Melide Car. Gottlob Hoffmann auct.
et respons. Joh. Gottl. Verner hyperint. Latreb. Vitemb. 1755.
- 13., De omnisciencia Christi in fratu Eini. auct. Baumgarte, Halle 1756.
- 14., De lucteis Elias ad Ioramum. Reger Judent. in Celsi scriptis et lator
XXI v. 12 auct. Christoph. Matth. Pfaffo 1755
- 15., Explicatio loci difficultioris Joh. X. 33-38. auct. Baumg. 1755 Halle
- 16., De fratu animarum separata. auct. Joh. Halle 1754.
- 17., De Iuda sacra Coena coniuncta auct. Joh. 1744.
- 18., De redembione Ecclesie proprio Christi sanguine facta act. XX, 28. auct
Costa Tab. 1753.
- 19., De reliquis sententissimis in opinionibus de morte auct. Griffo
1756 Lipsie Commentatio prior

18. De reliquis gentilium in opinioribus de morte auch Crucio
commentatio posterior Lipsiae 1756.
19. De peccati in pueris S. irremissibilitate proscida D. Leideli auch
Schuberto Helmpe 1748.
20. De Apparitione Angeli Christi confortantis Luc XXII 42-43.
auct. N. Christ. Godof. Helmpe Lipsiae 1748.
21. Epistola ex Laodicea in Encyclopaedia ad Ephesios conservata
ad IV. ib. auct. Iac. Huttco Erlango 1751.

Einzelne verzeiltet - 1049.

D

D.

DE PRUDENTIA
I N
DISQVISITIONE ATΘENTIAS
DICTI IOANNEI I. IO. V, 7.
O B S E R V A N D A

IN VIGILIIS FESTI MICHAELIS
ANN. MDCCCLXVI
D I S S E R I T
D. CARL GOTTLLOB HOFMANNVS
S. S. THEOL. PROFESSOR PRIMARIVS SVPERINTEND.
GENERAL. ETC.



WITTEBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIS
ACADEMIAE A TYPIS.

DE LIBRARIIS
IN

~~EX~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-29

SIGNAT. CCCXCI

THEO. THOMAS PRIMARIA SATURNIUS
GENEVAR. ETC.

MICHAELIS

LIBRARIS GADGET CHARTERIA DURRIS
AC DEGENSVA A MARE



DE PRUDENTIA
IN DISQVISITIONE AYθENTIAS

DICTI IOANNEL I. IO. V. 7.

O B S E R V A N D A.

Aequa iniquum est, diuina pro humanis, quam humana pro diuinis, habere et iactare eloquia. Quam longe enim Deus, qui fallere et falli nescit, huiusque infinitus intellectus, ab homine, cuius finita est intelligendi facultas, distat, tam superant oracula Dei omnium hominum, et si sapientissimorum, effata, ut infallibilis sit et maneat auctoritas verbi diuini, e contrario hominum fides et scientia haud raro vaciller. Oracula vere diuina sunt certissima, gignuntque fidem diuinam, quae sola salutaris est, omnemque oppositi formidinem excludit, sed humana fallere et errare possunt, et solum humanum assensum in animo efficiunt, ideoque et solum fidem humanam, quae salutaris non est. Cum diuinis eloquiis coniuncta est vis et efficacia S. Spiritus, cœu cum medio salutis, est enim *divinitas*

τοις cum verbo Dei coniuncta, ut ab hoc diuelli nequeat, ον γαρ ο λογος τοις και ενεγκυis Ebr. IV, 12. Imponunt itaque discipulis, qui scientes meritis humanis eloquuis diuinam originem tribuunt, diuinamque auctoritatem et efficaciam, siquidem illorum fides non εν δυναμει τοις Θεοis, αλλ' εν σοφιᾳ ανθεωπων innititur, 1 Cor. II, 5. Quam impium hoc sit, facile intelligitur, nec vltiori opus habet confirmatione.

Quid vero de illis iudicemus, qui in alterum prolapso extreum, diuina eloquia nonnulla pro humanis venditant, in sacris paginis ea delent, expungunt, asterisco notant, critico cultro eradunt, passim etiam, quae dispicent vel difficulter intelliguntur commutant, omitunt, dubia reddunt, ac multa alia audent, splendido Critics titulo abutentes. Vehementer errant, qui humanis diuinam adscribunt originem et auctoritatem, vehementius autem, qui in verbo Dei quicquam delendum et ex eo eliminandum censem, nisi ad oculum demonstrauerint, ac iniuctis rationibus ostenderint, non esse a Deo, quod adhuc creditur a Deo esse. Ne in profana quidem scripta licet Critico pro lubitu grassari, solisque conjecturis et praeiudicatis opinionibus indulgere, multo magis manum a sacris voluminibus continere tenetur, vt ne grauem istam Dei censuram incurrat, quae Deut. IV, 2. XII, 32. Apoc. XXII, 19. legitur, quam si diligenter ponderarent, qui vel verba vel commata in sacro codice delenda putant, profecto μετα φοβεις και τερροις agerent sua, vt ne incauti diuinam iram atque vindictam incurrent. Certe summi momenti res est, negare, S. Spiritum per θεοντευσει viros edixisse, quod re vera edixit. Ratio erit olim Deo reddenda, nec qualiscunque ratio coram

ram hoc tribunali tremendo sufficiet, sed certa, omni du-
bio superior, animum plene ac intime conuincens, ab
omni contrarii formidine remora. Sed quam difficile
quaeso est, in rebus criticis ad hunc usque certitudinis
gradum escendere.

Igitur summa cautione et circumspetione opus
habet, qui e sacris literis proscribere vult, quod
alii non sine omni veritatis specie partem earundem
aestimant: Immo vero etiam prudentia summa, ut
ne fratres, maxime infirmos, offendat, nec ecclesiae vni-
uersae damnum irreparabile infligat. Etenim ab eiusmodi
ausibus omnino arcere et debet et potest consideratio scan-
dali, quod infirmis in fide et in arte critica non satis exercita-
tis datur ab his, qui nimia sui confidentia vel hoc vel illud
S. Scripturae dictum *vnde* postulant. Infirmi enim si
audiunt, dictum biblicum, cui praecipua doctrinae chri-
stianae pars confirmari fere ab omnibus solet, ut est
I Io. V, 7. Rom. IX, 5. I Tim. III, 16. a viris erudi-
tionis fama gaudentibus vel plane expungi, vel aliter ac
vulgo interpungi, vel aliter legi atque exponi, facile pro-
labuntur eo, ut de reliquis Scripturae locis eandem in-
certitudinem suspicentur. Quod enim de hac et illa codicis
parte asseri potest, quid prohibet, quo minus de aliis
partibus idem suspicentur illi, qui non solum harum re-
rum satis periti non sunt, sed etiam omnem literarum sa-
crarum infallibilitatem cum Deistis caeterisque Antiscri-
ptuariis impugnant. Arma hostibus subministrare, et
malae causae frigidam affundere, iniquum est, nec omni
culpa tunc etiam caret, si praeter voluntatem et opinionem
sit ab incautis, ut vulgo excusari et negligi soleat, cautio
enim debebat adhiberi, et tutius minus securo anteferri.



Dicis, scandalum quod Critico imputatur, datum non esse, sed acceptum. Non Critici industriam, sed infirmorum vel ignorantiam vel imbecillitatem, causam esse scandalum ex expunctione huius et illius loci orti. Dabo. Sit scandalum acceptum, quod imputatur, nequaquam datum. Sed in hoc ipso desidero prudentiam et amorem christianum, quod tale quid multo verborum strepitu multaque ostentatione defendatur, ex quo scandalum capere posse fratrem, facili negotio praeuideri et poterat et debebat. Tu quidem vehementer declamas in aliorum imperitiam. Paullus autem, diuinus gentium doctor, aliam docendi et vivendi rationem praescribit, grauitate que admonet, ut ne tua abutaris scientia in pernicie fratris, qui ex tua scientia scandalum et offensionem accipere potest. Recte et ex mente recti conscientia agebat, qui carnibus promiscue vescebatur. Verum si propter esum frater tuus offenditur, tu non iam caritatis officio fungeris. Caritatis officium postulat, ut ab omni, quod aliis offendiculo esse potest, abstineas. *Noli eum tuo esu perdere, pro quo mortuus Christus est.* Rom. XIV, 15. Etenim non sufficit, te nolle esse infirmis scandalum, satis est, te ipsis esse scandalum. Scio optime, plerosque, qui 1. Io. V, 7. expungunt, offensionem aliorum non intendere; fateor, non omnes, sed quosdam imperitiores offendit hac expunctione, nihil tamen habent, quo se a vitio perfecte purgent, sequi caritatis officio defungi affirment. Qui enim scit, proximum suo opere et scripto in se innocuo offendit, eti opus et scriptum suum tueri posset, hoc tamen caritati fraternae debet, ut ab omni, ex quo fratrem offendit intelligit, se contineat. Quid autem? licebitne opinionem vulgi erroneam defendere, ut nemini simus scandalum. Non licet, praestat vero actionem, ex qua scandalum nasci potest,

poteſt, in gratiam fratrum temperare, in tempore tacere et ſibi ſapere, ſcilicet ſi res et veritas fundamentum fidei non attingunt, nec errorem inuoluunt aeternae ſaluti nouium. *Tu fidem habes, inquit Apoſtolus, apud te habe in conſpectu Dei, κατα ταυτον εχε ενωπιον τη Θεος.* Rom. XIV, 22. ^{a)}

Scandala accepta non ſunt vnius ſpeciei ac indolis. ^{b)} Dantur *inevitabilia* scandala accepta, quae hiſ, qui aliis ſunt ſcandalo ex accidenti, imputari non poſſunt, vt eſt doctrina Christi atque ipſe Christus. 1 Cor. I, 23. 1 Pet. II, 7. Dantur etiam accepta ſcandala *euitabilia*, vt ſunt actiones in ſe quidem licitae, ſed in hiſ et aliis circumſtantiaſ mihiſ neceſſariae, et de quibus praefſcri poterat, eas inſiſtoribus fore offendioni. Talia ſcandala accepta induunt naturam dati ſcandali, et reatum inuoluunt. Audias quaefo verba Apoſtoli a plerisque neglecta. *Sic autem peccantes in fratres, et eorum infirmam conſcientiam percellentes, IN CHRISTVM peccatis. Quid itaque conſilii? Quamobrem ſi eſus, (in ſe quidem licitus,*

^{a)} Si quis putaret, haec Paulli effata ad cauſam, de qua agimus, ideo non pertinere, quia apud Corinthios de re indifferenti diſputabatur, ſed indifferens non eſſe, fitne dictum quoddam vel a Deo vel ab hominibus prolatum, ſciat quaefo, nobis quoque de re indifferenti nunc eſſe queſtioneſ, nempe, non diſputamus de *auθentia* dicti Ioannici, ſed de modo haec *auθentia* impugnandi, in quo prudentiam Criticorum quorundam deſideramus.

^{b)} Vide, quae de hoc diſcrimine ſcandalorum acceptorum monuit BAVMGA RTENIVS in L. *Glaubens - Lehre*, Tom. II. p. 552. vel ſi Arminianum doctorem maius, (ſunt enim, quibus Arminii placaſta magis ad palatum) LIMBO RCHIY in theol. Christ. L. I. c. LVII. §. XVI, ſeq.

tus, ex accidenti proximum offendens) officit meo fratri,
nunquam carnem comedero, ne fratrem meum laedam.
1 Cor. VIII, 12. 13. Ne itaque sarcasmo excipias consilium prudentiae suppeditatum: Nostrum non est, sed Apostoli. Ex his patet, frustra prouocare Criticum ad scandalum acceptum, quia euitabile erat, non ineuitabile. Dictum Ioannis in prima epistola c. V, 7. obuium, continet testimonium de S. S. Trinitate, traditque doctrinam in aliis quoque effatis diuinis abunde fundatam: igitur periculum seductionis a veritate adest nullum. Concedas quaeſo, vt alius non ſpernendis de cauſis hoc testimonio vtatur ceu diuino, tibi autem si quis ſubnatus eſt ſcrupulus contra illius *adversari*, aliorum quaeſo conſcientiis, quoad fieri potest, parcas, dubia tua cum peritoribus artis criticae magistris communices, neque te vnum ex tripode quaſi oracula fundere existimes, vt ne vnuquam caritatis fraternae leges violentur.

Eruditis ſe ſcribere aiunt, de quibus metuendi cauſa non erat, scandalum accepturos inde eos fore. Si eruditis lingua eruditorum ſcripſiſſent, prudentiae et circumſpectionis edidifſent documentum. Quae enim noua et insueta vernaculis exarantur, leguntur non ſolum ab eruditis, ſed et ab aliis, qui iudicio discretiō et eruditione singulari carent, ideoque nouis et insolitis plerumque offenduntur aequa ac delectantur. Sunt et inter eruditos vulgo ſic dictos, quos haud immerito dixeris infirmos, inprimis inter iuniores, quorum praecordia contra fulcum criticum nondum ſatis obſfirmata, et qui rerum nouitate capti vel applaudunt nouitatis ſtudioſis, vel inter verum falſumque pendent, nescii, quo ſe tuto vertant. Neutrum ſtat cum prudentia theologica, vtrumque vero cum offenſa imbecillorum eſt coniunctum.

Cui

Cui igitur curae cordique est, omne vitare, quod
 scandalo esse potest infirmis, studiosissime sibi cauebit ab
 omni scandali occasione, etiam accepti eiusdemque erita-
 bilis. Summam adhibebit curam, ne *audierit* dicti cuius-
 dam biblici, ut est i. Io. V, 7. studio *nouitatis* et pru-
 ritu nouaturiendi lacescat. Ut enim nouitas, iudice Ci-
 cerone, est temeritatis mater, sic etiam in inuestiganda
 Ioannei dicti *audierit* quosdam in temeritatem praecipi-
 tavit, qua sententiam dixerat prius, quam lis est conclama-
 ta. Aberit a Critico prouido omnis *falsus*, qui se ma-
 xime in contemtu veterum, in libidine taxandi alios quo-
 cunque, in propria singularis peritiae Criticae laude,
 se prodiit, et qui eo vsque progressus est, ut omnes
 illos proscinderet tamquam ineptos et insulso, qui di-
 stum Ioanneum existimant genuinum, a quibus contu-
 meliis certe abstinuissent, circumspecte si rei grauitatem
 ponderassent. Nihil frequentius occurrit, inquit 10.
CLERICVS, in scriptis *Criticorum audaciorum*, quam su-
 perba imperia, quibus emendare iubemur, ut *iis* videtur;
 aut quibus quasi certa, explorata, indubitata, manifesta,
 sola vera obruduntur, quae postquam probe expensa
 sunt, falsa aut minimum *incerta et dubia* esse deprehen-
 duntur. Quod tam saepe contingit, ut prudentiores ac
 modestiores Criticos factos esse oporteret, postquam tam
 frequenter alios lapsos esse vident, cum crederent se ora-
 cula propemodum proferre. (Art. Critic. P. III. S. I.
 c. XVII. §. 46. Aberit a Critico cauto *mens profana*,
 quae cum sacris eodem, quo cum profanis auctoribus,
 modo agit. Etsi enim profanorum auctorum scripta an-
 tiqua habeant nonnulla cum sacris communia fata, in aliis
 tamen longissime distant. Quis dixerit, prouidam sum-
 mi Numinis curam ita inuigilasse conseruandis scriptis

B

Home.

Homeri, Virgilii, Petronii, Propertii, vti Mosis, prophetarum, apostolorum. Nec fuit profanorum hominum in conseruanda suorum poetarum et historicorum integritate cura tanta, quantam in seruanda V. T. et N. T. puritate et integritate posuerunt doctores Iudei atque Christiani. Opus non est, vt ideo ad miracula confugamus, cuius absurditatis viros eruditissimos passim et accufari et damnari a Criticis miramur. Habuit enim diuina cura media ordinaria et apta, per quae absque miraculis integritatem codicis sacri seruare poterat. Curam, quam gens Iudeorum inde ab ultima aetate in conseruando codice V. T. posuit, ^{*)} numerando singulas voces, singula commata, immo vero etiam singulas fere literas, est notissima, ubinam vero et a quo talis etiam in profanis scripturis posteris conservandis inuenitur. Quam magna fuerit cura primitivae ecclesiae Christianorum in seruanda V. T. et N. T. integritate, FRICKIVS aliique satis superque docuerunt exemplo Origenis, Hieronymi, Chrysostomi, Epiphanii, Augustini, aliorum veterum doctorum ecclesiae, quibus maxime annumerandi sunt, iudice FRICKIO, L. de cura veteris ecclesiae &c. c. IV. & XX. PIERIVS Alexandrinus presbyter, Origenes dictus iunior, LUCIANVS Antiochenus presbyter, HESYCHIVS Aegyptius martyr, EVSEBIVS, ATHANASIVS, EUTHALIVS. Longe alia igitur est ratio et conditio sacrorum, quam profanorum scriptorum

^{*)} Quae de incuria Iudeorum in seruando codice attulit 10. CLERICVS, iam dudum confutata sunt a CAPPELLO, in Crit. Sacr. L. I. c. I. IOAN. FRICKIO L. de cura ecclesiae veteris circa canonem S. Scripturae et conseruandam codicum puritatem. c. I. §. 10.

ptorum, nec licent in sacris, quae in profanis, nam a
sacris pendet hominum salus aeterna; hinc maiori pru-
denteria, diligentia, reuerentia, cautione opus est in sa-
cris, et si hoc disserim passim negligi videamus.⁴⁾ De-
nique a Critico sacro aberit *vehementia*, hinc inde in ex-
aminanda *adversarii* dicti Ioannei ore calamoque declarata.
Vbi enim de eo disputatur, an dictum quoddam habeat
Deum ipsum auctorem, plus quidem et iustus obtinebit
zelus, aberit autem omnis taxandi, vituperandi, fugillan-
di libido, aberunt falsa dictiones, contumeliae, et alia
animum incontinentem et vehementia correptum indi-
cantia. Qui enim circumspicere et coram Deo sua agit,
ab affectuum intemperie sibi cauere studet, probe gnarus,
quam facilis sit lapsus in auctu affectuum et commotione.

Maxime omnium totus in eo erit prouidus et cir-
cumspicetus Criticus, ne in quaestione tanti momenti ni-
mis se praecipitet, nec ex *praecipitania* quaestionem deci-
dere autem, quae ex utraque parte difficultatibus pre-
mitur. Dolemus certe, passim de oraculo Ioanneo I. Io.
V. 7. ita pronuntiari, ac si dubitari amplius nequeat hy-
pobolimaeum id esse, ideoque ex textu graeco vel eli-
minandum, vel soli margini ut glossema adscribendum,
cum tamen singulis contra *adversarii* huius dicti argumen-
tis adhuc multa obstant multaque obiciantur, non-

B 2

dum

⁴⁾ Postquam superbientis animi libidinem, inquit *witsivs*, in se-
cularibus scriptis male multandis (ipsi corrigerem vocant) expleue-
runt, pari confidenzia in sanctissimorum oraculorum arcana vol-
lumina inuolant. Quorum orationem addendo, demendo, trans-
ponendo, fingunt ac resingunt pro lubitu, etc. in Orat. de felici
ac infelici Reip. litter. statu.

dum satis confutata, nec vñquam forte plene confutanda.
 Evidem grauissimae de *avert.* oraculi huius contentioni me ingerere nunc nolo, tamen nullus dissensio, me saepe mirari fiduciam istam singularem, qua nonnulli eam negant atque pernegant. Vnum spe iminis loco afferam dubium, contra argumentum primum, quo *avert.* dicti Ioannei oppugnatur, quod praecipuum et achilleum putant: Ita vero, vt, quod aiunt logici, in forma disputetur. *Quocunque dictum in nullo codice Graeco antiquo fide digno legitur, illud genuinum non est.* Sed oraculum istud *I. lo. V, 7.* in nullo codice Graeco antiquo fide digno legitur, igitur genuinum non est. In hoc Syllogismo er maior et minor vacillat, id quod pace illorum, quibus tale disputandi genus ad palatum nunc non est, seruatis logicorum terminis, affiramus. *Maior* committit fallaciam diuisionis, agit enim de solis codicibus Graecis antiquis nunc quidem extantibus, sed de antiquioribus iniuria temporis perditis tacet. Si quid efficere debet, sequentem in modum erit formanda: *Dictum, quod ab ecclesia neque nunc neque olim in codice Graeco N. T. lectum fuit, genuinum non est.* Tu vero vnde probabis, olim ne vnum quidem codicem Gracum fide dignum verba Ioannis controversa habuisse. Ne quaeso silentium patrum Graecorum vrgeas, probe enim scis, a silentio ad rei et facti negationem tuto non colligi, in primis in hac causa, quia constat, saeculi II. et III. patrum Graecorum scripta existere nimis pauca, vt profecto a tam paucis adhuc extantibus monumentis ad reliqua omnia minus secure concludatur, esset enim conclusio a particulari ad vniuersale. Obiiciunt silentium patrum saec. IV. contra Arianos disputantium, quippe quos nunquam ad *I. lo. V, 7.* prouocasse aiunt, quamuis ad id prouocandi pro-

proximam haberent occasionem. Sed, qui verum statum quaestio[n]is ab Arianis motae tenent, probe intelligunt, ex hoc loco contra Arianos valide concludi non potuisse, quia unitas essentiae diuinae et Trinitas 1. Io. V, 7. asserta Arianismo nequaquam obstat. Ipsos etiam Arianos hunc versiculum septimum legisse, obseruat Bengelius in apparat. Crit. p. 755. Addunt alios patres bene multos dictum Ioanneum praetereuntes. Nec hoc miramur, cum constet, olim iam codices extitisse, qui illud non habebant, quo factum est, ut patres quidam illud vel nescirent, vel eo vti haesitarent, prouti nunc etiam sunt, qui dictum illud in suis libris legunt et habent, nec tamen eo vti volunt. Si in nullo antiquo exemplo graeco extitit dictum Ioanneum, vnde queso venit in versiones latinas antiquissimas? Pleraque enim latinae versionis exempla, eti non omnia, habere dictum de tribus testibus in coelo, ocularis docet inspectio.^{c)} Sit, alio ordine in nonnullis codicibus latinis referri illud, sufficit, quod referant, non omittant. Ex margine in textum venisse, facilius dicitur quam probatur. Ut enim hodie in margine reperiatur in quibusdam codicibus, inde vero nondum sequitur, ut posthac in textum latinum venerint, quia prostant codices latini antiquiores, qui id in textu habent. Multo verisimilius est, ideo verba Ioannis in margine scripta suisse, ut suppleretur in margine, quod in textu

B 3

desi-

^{c)} THOM. SMITH. in diss. de integritate et *authentia* celeberrimi loci 1. Io. v, 7. Lovanienses theologi, inquit, multis latinis N. T. „exemplaribus simul collatis, versum hunc a quinque tantum codicibus absuisse asserunt. R. Stephanus in editione sua, quindecim aut sedecim verissimis codicibus MSS. vtebatur, quorum major pars eundem quoque retinebat.“

desiderabatur. Ad Glossemata referunt alii, quae saepe lapsu scribarum in te tum venerunt. Sed, qui glossematis definitionem vel naturam norunt, vix verba 1. Io. V. 7. ad ea referent. Accedit, quod auctor Prologi galeati, (quem Hieronymo vulgo tribuant, et quem saeculo quinto vel sexto iuniorem non esse, Cassiodorio et Eucherio aequali, sati certe constat) habuit codices graecos, in quibus testimonium de Deo trinuno legebatur, cum enim in latinis quibusdam translationibus (nequaquam in graecis) hoc testimonium desideraret, translatores hosce ideo vocat infideles, quod Patris, Verbique ac Spiritus testimonium omiserint, *in quo maxime*, inquit, *et fides catholica robatur*, et Patris et Filii et Spiritus S. una diuinitatis substantia comprobatur. Ecce tibi satis antiquum testem, qui apertissime scribit, extitisse quondam codices graecos testimonium de SS. Trinitate habentes. Et si quoque Hieronymi non esset, est tamen auctoris cum scriptoribus saeculi quinti, aut si manus sexti, plane consentientis et de existentia quorundam graecorum codicum, qui 1 Io. V. 7. habuerunt, aperte testantis.^{f)} Vacillat igitur propositio maior, vt cum Logi-

cis

f) De hac HIERONYMI epistola diversa prostant eruditorum iudicia. Refert TH. SMITH l. c. se eam reperiisse in quamplurimis codicibus MSS. quos consuluerat, nec iuste a quoquam dubitari posse, an sit genuina S. Hieronymi epistola, cum, Erafmo et Socino vltro fatentibus, cundem genium et stilum ybius referat. Idem affirmat IO. FELLVS, Oxoniensis episcop. in not. ad Cypriani Opp. p. 79. Finxit quidem RICH. SIMONIVS, illum, qui omnes bibliorum Latinorum libros in unum volumen collegerat, hunc aliquosque prologos, qui apud S. Hieronymum non existissent, sub ipsius nomine composuisse, et quo suppositio melius lateret, Eustochii nomen inseruisse. Frequentissime hoc Simonianum segmentum no-
stra

cis loquuntur, syllogismi seu argumenti achillei istius et praecipui.³⁾

Idem de minori, seu de assumptione, iudicandum esse viderit: testimonium Ioannis de Trinitate cap. V, 7. in nullo codice graeco reperiri, ac ideo genuinum non esse.

Ne

stra aetate repeti, abunde constat: TH. SMITH. vero I. c. illud dixit meram et putidam petitionem principii, ac si olim tempore S. Hieronymi Scripturarum sacrarum codices non in idem volumen simili fuissent collecti, ipsisque dubitandi rationibus a Simonio prolatis docte satisfecit. Eiusdem argumenta itidem refutabant alii, praesertim editores Operum Hieronymi ex ordine S. Benedicti, inque his MARTIANAEVS, quippe qui, postquam singulas Simonianas rationes docte recicerat, alias in harum locum substituit quidem, sed adeo infirmas, ut cum illis vix sint comparandae.

V. OVIDIUS. Non nescio, passim affirmari, hodie eruditorum neminem prologum tribuere Hieronymo, at enim vero illi ipsi, qui ab Hieronymo conscriptum negant, concedunt tamen, satis antiqui auctoris opus esse prologum, quo vno satis nunc habemus.

3) CASSIODORIVM in Complex. habere verba controversa, nemo vnuquani negare poterit. Vixit saeculo VI. suasque complexiones tam accurate ad fidem prisorum codicum composuit, vt haec tenus ne vnu quidem locus ex his sit prolatus, qui Scripturae additamentum censeri debeat. Ipse CASSIODORIVS, vt recte monet Maffeius, in div. lect. monachis suis praecepferat, vt praefantissimis et graeci textus collatione repurgatis codicibus vterentur, atque in ambiguis locis diuorum vel trium prisorum emendatorumque codicum auctoritas inquireretur. Hinc Bengelius in appar. Crit. p. 751. hoc CASSIODORI suffragium pluris faciendum esse iudicat, quia emendatae scriptio[n]is, praesertim in Scriptura sacra, mire studiosus fuit, et quia haec ipsae Complexiones lectionem referunt Hieronymo antiquorem. Dum vero CASSIODORIVS verba Ioannis genuina aestimauit profecto non potuit dubitare, in graeco textu ea legi. Nec credo, levitatis aut ignorantiae dissentientes arguere velle virum in seruandis libris sacris studiosissimum. CAS-

SIODORIO



Ne aegre ferant dissentientes, hanc assumptionem si prae-
cipitanter accuso, eiusdemque manifestae. Quis erudi-
torum omnes ac singulos codices graecos, adhuc
in toto terrarum orbe extantes, inspexit? perreptastine
totam Asiam, Europam, immo et Africam? visitastine
singula

SIODORIO antiquiores testes allegantur passim ab eruditis, e. gr.
CYPRIANVS, cuius verba adeo clara sunt, ut EMILYNVS cum
suis ad misserum illud effugium prolabi debeat, Cyprianum dare
mysticam versus octaua interpretationem: hanc qui detorsionem
concoquere potest, certe praeiudicatae opinionis amore praeuen-
tus videtur. Et iterum de Patre et filio et S. Spiritu SCRIPTVM
est, et hi tres unum sunt. Vbi quoquo in his vel levissimum ob-
viat mysticæ interpretationis indicium? Nec est, ut verba haec
supposititia censeamus, cum FVLGENTIVS eadem ex Cypriano
dudum reperierit. Quod etiam beatissimus Martyr Cyprianus in ep. de
unit. eccles. confitetur etc. FACUNDVS praelulis illi Cypriani ver-
borum mysticæ detorsio saepe nunc iactari solitac, cumque ver-
sum septimum non legeret in suo exemplari, male suspicabatur,
sicut nunc etiam quidam pari de causa suspicantur, Cyprianum
ad verba octaua commatis respexisse. Frustra itaque EMILYNVS,
CRELLIVS, cum suis ad Facundum prouocant, cum ex Cy-
priani verbis corundemque nexus et scopo contrarium patet. Nec
vnus est CYPRIANVS, ad quem prouocant viri eruditii
avertiv dicti Ioannei propugnantes, sed plures a Bengelio al-
legati l. c. p. 751. cuius repeterem licet verba sequentia: Sic
Africa, seruente persecutione Vandala, et ante et post,
ne Arianis quidem exceptis, versiculum legit. p. 755.

Hacten vero singula eum modo in finem paucis afferre volui-
mus, ut pataret, multa adhuc disputanda et diadicanda prius fore,
quam tuto affirmare licet, i. Io. V. 7. in nullo olim codice grae-
co extitisse. Quod si vero omnia prosequi vellemus, longe plu-
ra proferenda esse, quam huius scriptoris termini ferunt, intel-
ligimus ipsi.

Si ergo

singula templa; singula monasteria, singulas et omnes bibliothecas, omnem supellestilem librariam christianorum vel graeco ore loquentium vel graeca intelligentium et legeantum. Tale quid sibi nemo Criticorum arrogabit, potius ad quaestiones has meas respondebit, se vnum hoc negasse, in vlo a Criticis haetenus viso et recenso codice graeco repertum esse testimonium illud Ioanneum. Quid igitur? Istud *nullum* (in *nullo* codice graeco) esse limitandum et ad solos illos, quos Critici haetenus inspicere potuerunt, restringendum. Nunc numera quae so codices epistolarum catholicarum graecos istos tuos, quos Critici usurparunt, et in quibus testimonium Ioannis desideratur, quot quae so habebis et numerabis? paucos admidum, teque ipsum admiratio tenebit, Wetstenium plures non inuenisse, et si omnia vnde quaque conquisuerit audidissime et diligentissime, quibus Socinissimo suo subueniret. Plures codices graecos antiquos, quam ab Europaeis visos, adhuc existere apud Graecos, (quorum inuidia Latinis pleraque negat, et quorum odia in alios omnes christianos sunt notissima) apud Russos, Moldauos, Bulgaros, alios, nemo sanus dubitat, ne quid de Aegypto, Abyssinia, Armenia, ac reliquis ecclesiae Orientalis regionibus dicam, suo modo in versionibus huc spectantibus. Magnam ideo dixerim praecipitantiam, confidenter affirmare, in *nullo* codice graeco antiquo extanti legi testimonium Ioanneum de S. S. Trinitate, quia nemo unquam omnes et singulos codices antiquos vidit, forsitan tempore futuro in lucem producetur unus et alter Criticis nondum visus, ut *BENGELIVS* non inepte spe rauit. Praeter haec tenendum censeo, codices graecos antiquos, in quibus Catholicae epistolae adhuc extant, pauciores habere epistolas Ioannis, ut ipse monet Wetstenius

C

in

in recensione codicum nouae N. T. editioni praemissa, plures iisdem carere. Hoc magis minuitur numerus codicūm, ad quos prouocant, qui in *nullo* codice reperiri dictūm Ioannis contendunt.

Addere possem, quod multi eruditī defendunt, Complutenses, Erasmus, Vallam, Stephanum, tenuisse codices, qui septimum versiculum habent totum, porro Montfortensem seu Britannicum ab Erasmo in tertia N. T. editione allegatum, Seidelianum siue Berolinensem codicem adhuc prostare dictūmque Ioannis habere. Sed cum his varia a variis opponi soleant, partim vera, partim dubia, denique partim meritis suspicionibus innixa, praeterritam singula, ideo quod mihi nunc non sit animus *avertivus* ipsam dicti Ioannei inuestigandi, sed prudentiam in huius *avertivus* inuestigatione necessariam suadendi, prouti supra monui. Vindicias enim dicti Ioannei nostra aetate scribere, multo prolixiorem operam ac nostrum nunc fert institutum, requirit. Sufficit mihi, ex concertationibus eruditorum patere, adhuc sub iudice esse litem de oraculo illo Ioannis. Ex his, quae maiorem et minorem propositionem reddunt faltem controversam in argumento praecipuo contra *avertivus* testimonii I. Io. V. 7. allato, constat sententiam praecipitare, qui litem existimant conclamatam, diuinamque oraculi huius originem penitus negant.

In rebus dubiis vel omnino nihil pronuntiare, vel modeste et sine offensione aliorum, maxime infirmorum, dubia sua exponere, saluis aliorum sententiis, modesti atque prudentis est Theologi et Critici, qui verbum Dei iusta veneratione tractat, et in *avertivus* cuiusdam eloquii diuini inquirit. Sed haec circumspetio passim desideratur, maxime in his, qui omnes illos contemnunt,
quos

Quos a se dissentire animaduertunt. Aegre ferunt, si ob negatam *avdētīas* i. Io. V, 7. Socinismi clandestini arguuntur, ac in aduerfarios tanquam in haeretices et per contemptum nominatos orthodoxos declamat. Ego quidem neminem ob negatam dicti controuersi sinceritatem, et eam solam, Socinismi postularem, in primis si aliunde de mente pura ac fide in SS. Trinitatem constaret, ne RICH. SIMONII aliorumque pontificiorum vestigiis infesterem, qui LVTHERVM propter omissionem i. Io. V, 7. hostem Trinitatis dixer. Gaudere vero Socinianos, asserta Catechismi Racouensis de hoc Ioanneo testimonio tam strenue stabiliri, certo certius est. LVTHERVS imprudentiae propter omissionem dicti Ioannei damnari nequit, quod alia plane est ratio temporum post Lutheri obitum, quam fuit viuo eodem, siquidem Socini et Catechismi Racouensis animus hostilis in i. Io. V, 7. post aetatem Lutheri innotuit, his igitur frigidam ne potuit quidem affundere. Habuit autem alias causas, ob quas maluit verba saepe citata omittere, de quibus vltior nunc nobis non datur disferendi locus. Satis est, Lutherum doctrinam de SS. Trinitate semper acerrime defendisse, nec latum vnguent ab ea recepsisse, et si hoc Ioannis oraculo vti nollet, Erasmo diffusus.

Qui Criticis dicti Ioannis *avdētīas* oppugnantibus tribuunt, quod Empaeclis et Scepticis, integratatem sacrae scripturae negantibus, arma subministrent, in hoc quidem errare non videntur, quod ab Antiscripturariis ad infringendam codicis sacri integritatem et auctoritatem Criticorum arma rapi possint, et interdum rapta sint, exemplo Rich. Simonii, Harduini, Edelmanni, aliorumque, cum primis pontificiorum contra integratem S. Scripturae semper disputantium, ut traditionum et ecclesiae vul-

C 2 101 4 198 101 gatae-

gataeque versionis auctoritatem eueherent: sed idem intendere omnes ac singulos, qui diuinam originem dicti Ioanni in dubium vocant, ego quidem nequaquam assero, immo etiam de nostris plane nego. Prudentis autem est, circa illa, quae per abusum et ex accidenti in malam partem trahi possunt, prouide agere, ansamque scandalorum, ut pluribus supra cum Apostolo monui, quoad fieri potest, euitare. Quod si enim scribarum seu librariorum negligentia quaedam sunt vel vbique omissa vel vniuersis Scripturae sacrae exemplaribus addita, quae fidem non euertunt, dubitandum tamen semper erit, iudice CALOVIO, anne etiam in iis locis, quae fidem concernunt, mendaciter irreperint. Itaque nulla erit certitudo in principio et norma fidei, nullaque erit vniuersi N. T. auctoritas.⁴⁾ Exemplo esse potest doctrina de SS. Trinitate. Quemadmodum enim testimonium evidentissimum Ioanneum 1. lo. V. 7. ab his censeur ὑποβολμένον, sic ab illis testimonium ipsius Iesu Matth. XXVIII. 19. et si clarissimum, aequo in dubium vocatur. Sunt, qui ex euangelio apocrypho secundum Aegyptios adsuta; sunt, qui ab ATHANASIO addita putant verba, τα οὐκ τα πνευματικά για, nequaquam ore Iesu prolatæ, nec a Mattheo scripta. Quid autem fiet de doctrina christianorum praecipua et maxime fundamentali, si Criseos specie nunc hoc nunc illud oraculum, cui fides nostra superstructa, vel omnino deletur vel saltem infirmatur.

Causam, quam interferere solent Critici in destruendo dicto Ioanneo nimis praecipites, paucis sub finem tangimus. Obtendunt veritatis studium, quo compulsi non possent non sua circa ανθρώπων dicti 1. lo. V. 7. cogitata cum aliis communicare, sibique et aliis ab erroribus caue-

4) in Critic. Sacr. p. 465.

re. Alia enim loqui, alia sentire, non esse doctoris sinceri: nec conducere ecclesiae, doginata fidei superstruere incertis et titubantibus fundamentis. Addunt denique, nunquam esse celandam veritatem, sed aperte semper ac vbiue profitendam. Sed primum confundere videntur veritatem cum opinionibus. Opinantur quidem oraculum Ioanneum saepe allegatum genuinum non esse, sed hanc suam opinionem nondum veritatis indubiae nomen consequutam esse, testantur virorum eruditissimorum scripta, *adversarii* eius propugnantia, arris Criticae haud experium. Evidem non ignoro, hos vulgo contemni variisque opprobriis a nouorum conditoribus proscindi, sunt vero alii aequi rerum iudices, qui horum in rem Criticam merita rectius aestimant, ac saepe mirantur, qui fiat, ut nostra maxime aerate nemo in censum eruditorum, nisi qui opinionibus nouis et artis Criticae iactatione inclarescit, referatur. Certe, qui circumspete agit et de se modeste sentit, eruditorum numero illos non eximit, qui nouas opiniones prius non assumunt, quam de veterum fallitate certo certius constat. Opiniones spargere in orbem, vitio non vertitur eruditis, cum in omnibus ad veritatis gradum usque contingere haud liceat: Nec improbandae sunt omnes omnino opiniones Criticae, in rebus criticis enim ne coniecturae quidem semper sunt spernenda: Spargere tamen opiniones, quae vel religioni et pietati aduerfantur, vel saltem scandalo ac offensioni esse possunt, nemo cogitur, immo vero etiam pietate in Deum et amore proximi prohibetur.ⁱ⁾ Prudentia igitur

C 3

opus

ⁱ⁾ Egregia sunt 10. CLERICI in art. Critic. P. III. S. I. c. XVII. §. 46. monita: „Ultima lex, ad coercendam Criticorum superbialem et fiduciam nimiam, haec sancitor: CONJECTVRAE OMNES

opus est in diiudicandis opinionibus, harumque utilitate atque necessitate aestimanda. Hoc si ad illos, qui tanto imperio dictum Ioanneum expungendum contendunt, applies, facile sicut supra notatum deters.

Deinde, si qui assertunt veritatem nunquam essecelandam, sed proinde et publice confitendam, nac hi assertibus praeventi in regulas doctrinae christianaee moralis impingunt. Institutum praesens non fert, vniuersitate repete pracepta Iesu et Apostolorum de veracitate, sufficit monuisse, veritates theologicas alias esse cognitu ad salutem necessarias, ideoque primariias, alias vero secundarias. Nec esse veritates ad fidem salvificam pertinentes cum quaestioneis criticis commiscendas. Iudicent alii, num quid detrimenti acciperet salus hominum aeterna, si verba Ioannis citata a suspicione libera manerent, et ad stabiliendam veritatem, aliunde satis superque confirmatam, allegarentur. Iudicent, num praefert silentium, ex quo nullum omnino scandalum, an loquacitas et nouitas, ex qua facile accipi scandalum potest. Iudicent denique, num omnia omnibus conueniant, an vero praefert discerner letores et auditores suos, exemplo Iesu, Io. XVI, 12. Vrgent denique libertatem sentiendi, qua se propter alios priuare nolunt, et in qua magnam felicitatis suae partem ponunt. Saepissime vero in licentiam et audacia abire libertatem illam sentiendi, experientia docet. Erit præterea distinguendum inter libertatem ipsam, et externum illius usum. Libertatis usus interdum est omnino propter alios cohibendus. Si credis, inquit LIMBORCHIVS, nihil interesse, siue carnem edas, siue a carnis Iesu abstineas, iam liber es, etiam si carnem non comedas in

„OMNES MODESTE PROFONVNTOR, SIN MINVS, DOCTIS
„ludibrium debento.“

in aeternum: si vero edas cum alterius offendiculo, peccas. Libertatis omissione salus nostra nullo modo labefactatur, quia regnum Dei non est cibus neque potus, Rom. XIV, 17. i. e. regnum Dei non consistit in vsu cibi liciti, sed in exercitio virtutum, quibus salutem proximi promouemus.

Quod olim IO. CONR. DANNHAVERVS ad quaestione^m 1) an a versione Lutheri liceat in concionibus abire, et eam carpere, respondit, sub finem huius qualisunque commentationis ad praesens institutum applicare liceat: *Magna prudentia*, inquit vir summus, theologus in re critica et philologica versatus, hic opus est. Non enim facile laici in errorem cogendi, vt alios conceptus forment de ista versione: sed si videtur error nimis magnus esse, cum praeoccupatione MODESTA (non dictatorum more) dicetur. — Sed, vt dictum, magna prudentia opus est.

Haec vobis, CIVES ORNATISSIMI, scribimus, quorum aetas in illa tempora incidit, in quibus de *av9ent.a* oraculi diuini 1 Io. V, 7. tanta animorum contentione tanquam verborum copia certatur, vt, iudice illustri MAFFEO,¹⁾ volumen esset conficiendum, ea si colligere paucisque recensere vellemus, quae in hanc quaestionem ab eruditis congregata sunt. Nolumus de ipso hoc certamine in praesenti sententiam ferre, et si duriora hypercriticorum quorundam dictaria, quibus aduersarios onerare et terrere solent, nulli vereamur, probe gnari, ultima haec esse tela infirmorum, facillime depellenda nec non retundenda. Prudentiam vero vobis, OPTIMI CIVES, commendamus in aestimanda hac lite, et in omni casu simili, studiose adhibendam, quam in aliis adhuc desiderauimus, non sine iusta animi indignatione. Estote memores moniti Apostoli: πάντα μοι εξεῖτε, αλλ' οὐ πάντα συνθέσει πάντα μοι εξεῖτε, αλλ' οὐ πάντα οικοδουσίαι. 1 Cor. X, 23. Utinam et alii, qui pro sacro suggestu ad populum verba faciunt, ac in aliorum institutione versantur, huius praecepti et exempli Paulli viuerent memores, ne praepter opinionem rudiorum conscientias perturbarent, suisque vociferar-

¹⁾ Theolog. Casual. p. 250,

¹⁾ ad Cassiodorii Complexion. p. 132.

cificationibus inconsideratis de dicto Ioanne i Io. V, 7. occasionem dubitandi et litigandi subministrarent. Nihil vos dabitis, CARISSIMI, ostentationi, nihil nouitati, nihil plausui, nihil praecipitantiae, omnia aedificationi, modestiae, prudentiae, caritati, et, quae suprema lex esto, pietati. Tunc enim Crisis recte instituitur, si in ea salus proximi aeterna, et diuini nominis gloria intenditur ita, ut prudentia et caritas sint ubique duces.

Plura dabit pericope, crastino die Festo pro rostris sacris exponenda, quippe in qua IESVS de vitandis scandalis ita differit, ut pius animus horreat, quoties verborum zeli plenissimorum meminit: Οὐαὶ τῷ ἀνθερπῷ εκεῖνῳ, διὸ τὸ σκανδάλον ἐρχεται. Matth. XVIII, 7. Venite igitur pia mente et manu grata ad nostra sacra, audite IESVM contra scandalum a discipulis suis datum declamantem, originem scandalorum in fastu et arrogantiā ostendentem, aeterna dama ex iisdem comminantem, et angelorum praesentiam, ut medium scandalū fugiendi, commemorantem. Hac enim ratione obscurabitur animus vester Deo consecratus contra omnes, qui vos a recto tramire ad deuia, specie nouarum veritatum criticarum, deducere conabuntur.



VI 29

= Dissertationes theol.
v. 43.]



B.I.G.



DE PRVDENTIA
I N
DISQVISITIONE ATΘENTIAS
DICTI IOANNEI I. IO. V, 7.
O B S E R V A N D A

IN VIGILIIS FESTI MICHAELIS

ANN. MDCCCLXVI

D I S S E R I T

D. CARL GOTTLLOB HOFMANNVS

S. S. THEOL. PROFESSOR PRIMARIUS SVPERINTEND.

GENERAL. ETC.



WITTEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIS
ACADEMIAE A TYPIS.

